

Mat. 16. apud Mathæum capite sextodecimo feruator noster: Porta inferi non prævalent aduersus eam: sicut Daniel eam non esse alteri populo tradendam. Oppugnatur quidem, & oppugnabitur: sed non expugnabitur, nec unquam euertetur. Si in vna regione defecerint Christiani, in altera propagabuntur. Semper erunt veri Christiani: quibus Christus Deus noster

Mat. 28. ait apud Mathæum capite vltimo: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi. Alij referunt hæc Danielis verba ad ecclesiam triumphantem, vbi ciues sunt immortales. Prior explicatio placet doctioribus.

¶ *Et ipsum stabit in æternum.* Alia regna habebunt finem, Christi vero regnum erit æternum. Id prædixit diuinus ac regius vates his verbis Psalmo 144. Regnum tuum regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. Et Psalmo 88. Inducit Deum patrem ita loquentem: Aedificabo in generatione & generationem sedem tuam. Et quia hæc erant admiranda, alloquitur statim ipse Dauid Christum venturum, cuius regnum æternum fore præuidebat: Confitebuntur caeli mirabilia tua domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Veritatem Dei appellat eius promissa. Et paulo post inducit patrem has voces mittentem: In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies Coeli. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in caelo fidelis. Vocat Christum semen Davidis, quia ab eo quatenus homo originem dacebat, iuxta id quod ait Mathæus: Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Qui Christus regnat in æternum in ecclesia, quæ in omne tempus vigeat, atque æuo sempiterno Deo in caelo fruatur. Dixit autem thronum Christi duraturum sicut dies caeli, hoc est quantum durauerit caelum: & sicut sol & luna, hoc est, quantum sol & luna durauerint, quæ astræ sunt testes perpetuitatis regni Christi, vt ipsum

æternum esse significaret. Non posse autem hæc Dauidi continere indicat id, quod dicitur in eodem Psalmo: Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Est enim nobis satis perspectum & exploratum, Dauidem in scelera incidisse, quando populum inflato animo numerauit: & quando adulterium commisit, & eadem Viræ machinatus est. Quibus in flagitiis inimicus profecit in eo, & filius iniquitatis apposuit, vt laderet illum. Præterea qui fieri potest, vt regni perpetuitatem Deus polliceretur Dauidi super Hierosolymam terrenam, cum in ea nullum sit regnum Iudeorum, sed subiecta sit impijs Turcis Iudeorum & Christianorum acerrius inimicis? Nullo modo hæc vera esse possunt, nisi referantur ad Christum, qui natus in familia Davidis perpetuo regnat. Nec in aliam sententiam explanari debet illa Esaiæ vaticinatio capiti nono mandata: Multiplicabitur eius imperium, & pacis noui erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret à modo, & vsque in sempiternum. Et illud Michææ capite quarto. Regnabit super eos in monte Sion ex hoc nunc & vsque in seculum. Id intuebatur mentis oculis spiritu prophætico illustratis noster Daniel, cum diceret capite septimo: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Et hoc loco: Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur: cõminuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Hæc omnia oracula explanauit de Christo Gabriel angelus, Dei interpres & nuntius, cum capite primo apud Lucam his verbis virginem Mariam sanctissimam astatus esset: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Esse Christum regem, asserit ipse dicens secundo Psalmo: Ego autem constitutus sum rex ab

Psal. 88.

2. Re. 24

2. Re. 11

Esai. 9.

Mich. 4.

Dani. 7.

Luc. 1.

Psal. 2.

Pfal. 144

Pfal. 88.

Pfal. 88.

Mat. 2.